

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0630

0628

0634

0624

0639

0619

0679

0579

0729

0529

0129

Ende

Anfang

57

descendet et arma ista reassumet (**B**) et cum iis Antichristum expugnabit et daemones effugabit. Post haec interrogavi eum de quantitate et qualitate istorum armorum. Qui ad singula eleganter respondit, et multa mihi dixit, quae monachi ibi publice praedicant satis errorem implicantia. Ego autem multis verbis virum informavi, quod S. Michael in expugnatione draconis nec scuto nec gladio corporali indiguit, et quod avaritia monachorum illorum mendose illa confinxit, et arma, quibus S. Michael pugnavit, numquam depositus, nec pugnare aliquando cessavit. Sicut enim in coelo contra malos angelos proelium gessit, sic in veteri testamento princeps populi Israel fuit et pro eis pugnavit, ut patet Josuae V. In novo etiam Testamento semper pro Christianis pugnat, ut patet Dan. X. Ideo arma sua non deponit, cum non sint corporalia. His saecularis ille instructus regratibatur mihi.

De his armis solebat saepe loqui frater Michael Sicz, cucus Conventus Ulmensis, vir simplex et bonus, qui etiam ea viderat, quia cum pueris anno supra dicto locum visitaverat ut arma videret. Sed illa sunt puerilia conficta. Apparitio autem hic in Gilgal facta est verissima et sancta, ideo hic, esset S. Michael quaerendus: certissimum est enim, quod S. angelus hic Josuae apparuit armatus cum gladio evaginato, non quod habuerit gladium artificiale, sicut nec corpus, in quo apparuit, sibi connaturale fuit, sed tam corpus quam arma fuerunt aërea nec usibus humanis apta, et post apparitionem in pristinum statum resoluta. Qui ergo desiderat videre loca in quibus angeli veraciter apparuerunt, hanc peregrinationem assumat, et haec et majora videbit.

De valle Achor furis, ubi fuit lapidatus.

A Galgalis autem consequenter processimus contra Jericho et juxta vallem Achor venimus, in qua ipse cum omni sua supellectili et domo lapidibus fuit obrutus propter furtum, quod commiserat in subversione Jericho, ut patet Josuae 7. Juxta hanc vallem admirati divinae justitiae severitatem, quae pro delicto unius totam communitatem punit, et peccatum unius omnibus improperat, sicut dicit textus cap. 7,

